

advertat prudens lector non facile esse credendum, cum citentur hi auctores, ipsos sentire Deum non solum scire hæc futura (quod multi docent, et nos non negamus) sed etiam ante omne decretum ea scire, in quo est punctus controversiæ.

## ARTICULUS VII.

*Concordia nostri liberi arbitrii cum præscientia Dei contra hæreticos.*

I. Antiqua hæc difficultas, quæ totam hanc materiam de gratia, et scientia, et prædestinatione movit, et in concordando infallibilitatem, efficaciamque illorum cum fallibilitate, et contingentia nostri liberi arbitrii. Et reducitur vis illius ad hanc unam consequentiam: Scientia Dei est intrinsece infallibilis, eodem modo prædestinatio ejus, et gratia, ita quod hanc infallibilitatem et efficaciam non ex creatura habet, aut ex aliquo præsupposito creato, sed ex se, et ex eo quod divinum est: ergo voluntas creata in cujus manu non est talis scientia, voluntas, et gratia non potest manere libera, quia non potest resistere tali efficaciæ, et infallibilitati: *Voluntati enim ejus quis resistit*, ad Romanos IX.

II. In hac consequentia solvenda, et concilianda fallibilitate nostræ voluntatis cum infallibilitate divina et causalitate ejus, contrariis viis processerunt hæretici, et catholici. Nam hæretici non distinguentes inter necessitatem consequentiæ, et consequentis, inter necessitatem ex suppositione, et simpliciter conveniunt in hoc principio quod hoc ipso quod divina præscientia, et decretum efficax est, et infallibile antecederet et ut causa humanæ libertatis tollit illam, et sic quod non stat

infallibilitas divinæ voluntatis inferens, et causans actum nostrum, et quod remaneat voluntas nostra libera. Ex hoc principio duo errores extremi processerunt, circa istam concordiam nostræ fallibilitatis, et libertatis cum infallibilitate divina. Nam Pelagiani sub hac propositione, quod infallibilitas divinæ gratiæ seu decreti prævenientis humanas voluntates, destruit libertatem, subsumebant minorem, sed libertas tolli non debet, quod est de fide, ergo efficacia gratiæ tolli debet, neque est necessaria gratia ad actiones humanas. At vero Calvinistæ Lutherani Wiclephistæ et similes sub eadem propositione quod infallibilitas divina non stat cum fallibilitate nostrâ, subsumunt, sed efficacia gratiæ, et motio ipsius tolli non debet, ergo libertas nostra tollitur, et sic Deus movendo nos antecederet, nos necessitat, et consequenter non manet peccatum, quia hoc petit rationem voluntarii, et liberi, sed æque erit opus Dei conversio Pauli, et proditio Judæ; nec oportet distinguere inter formale malitiæ, et materiale entitatis in peccato, quia non datur formale malitiæ, ubi cessat peccatum. Itaque in illa consequentia Pelagiani negant antecederet, id est, quod decretum Dei, et gratia sit infallibilis ab intrinseco et antecederet. Calvinistæ vero concedunt antecederet, et concedunt etiam consequentiam, scilicet quod destruitur humana libertas per infallibilitatem decreti.

III. At vero catholici inter istos errores procedunt media via concedendo antecederet et negando consequentiam, quia licet detur infallibilitas ex parte Dei tam in præscientia quam voluntate, potest conservari libertas ex parte nostra. Sed dividuntur, nam Thomistæ dicunt quod etiamsi gratia Dei, et prædestinatio ejus sint ab intrinseco, et antecederet infal-

libilia, non tamen destruunt libertatem nostram, neque inferunt necessitatem in consequenti, scilicet quod non detur libertas, sed inferunt libertatem per infallibilitatem, et necessariam consequentiam eo quod divina voluntas, et præscientia sunt causa non solum ipsius actus nostri in substantia sua, sed etiam contingentia, et libertatis ejus. Unde redditur infallibile, non quod fiet actus quomodocumque, sed quod fiet contingenter, et libere, et hoc totum, scilicet actum et modum ejus qui est libertas, causat Deus infallibiliter, ut dicit S. Thomas III contra gent. c. xciv. At vero qui defendunt scientiam mediam non ita absolute admittunt illud antecederet, scilicet quod gratia Dei et decretum infallibilitatem habent, sed distinguunt illud habet infallibilitatem causalitatis ab intrinseco, et ex natura sua antecederet ad omnem libertatem nostram prævisam, nego; habet infallibilitatem præscientiæ, scilicet et præsupposita determinatione voluntatis nostræ prævisa ante omne decretum voluntatis suæ, concedo, et ad hoc ponitur scientia media, sine qua infallibilitas in gratia secundum ipsos non habetur, et ideo ipsa est fundamentum omnium eorum, quæ dicunt circa efficaciam gratiæ, et decreti divini.

IV. Et quia maxime moventur circa hoc isti auctores, quia putant esse valde affine errori Calvini dicere, quod Deus decreto suo antecedenti ad omnem actum nostrum nos movet, et efficaciam habet in voluntatem nostram, ideo oportet specialiter explicare sensum Calvini et quantum ab eo distet sententia nostra, minus autem ei repugnet opposita. Nam etiam hoc fuit objectum contra nostram sententiam in disputationibus coram summo pontifice, et responsum est explicando

sensum Calvini præsertim in congregatione xxxviii, sicut in xxxvii explicatum fuit quomodo minus repugnet sententiæ Calvini opposita sententia, quæ constituit scientiam mediam.

V. Igitur cum nobis objiceretur in congregatione xxxviii, quod cum Calvino convenit qui dicit dari necessitatem antecedentem divinæ voluntatis efficacem quia necesse est, quod illa posita tollatur arbitrii libertas, ad quod quædam Calvini loca lecta sunt. Et ex hoc deducebatur quod qui hanc necessitatem constituebant, consequenter dicebant Deum prædeterminare ad materiale peccati, quæ etiam erat Calvini damnata sententia. Ad hoc fuit responsum pro parte Thomistarum sic, et coram pontifice explicatus sensus Calvini, videlicet non errasse Calvinum, quia gratiam Dei efficacem constituit, et necessitatem illam consequentiæ, sed quia male illam constituit asserendo tolli libertatem. Erravit etiam quia gratiam sufficientem negavit. Erravit etiam quia dixit nullam dari gratiam excitantem, seu moraliter attrahentem, sed solum vi physica moventem sicut bruta moventur, et sicut equus movetur a sessore, hoc enim exemplo Calvinus utitur. Negavit autem Calvinus illam distinctionem de necessitate consequentis tollentis libertatem, et de necessitate consequentiæ salvantis libertatem, quia ut Driedo ait semper hæreticus hanc negavit distinctionem, per quam omnia hæreticorum sophismata diluuntur. Quod enim necessitas consequentiæ seu conditionata non lædat libertatem, doctrina sanctorum est, quæ in decretis expresse refertur, et ab omnibus etiam jurisperitis admittitur. Similiter erravit Calvinus, quia dixit Deum ita movere ad malum, sicut ad bonum: cum enim ipse necessitet distin-

guere inter actionem, et entitatem quatenus entitas, et actio est, et inter peccatum, dixit quod sicut Deus movet ad entitatem, ita movet ad malum.

VI. Si autem Calvinus admitteret illam necessitatem consequentiæ ortam ex Dei efficaci voluntate antecedente optime consistere cum humana libertate, non erraret, sed vere catholicam doctrinam teneret. Similiter, si diceret, Deum movere ad omnem entitatem, et actionem, quæ est in peccato, quatenus entitas, et actio est, simulque assereret nullo modo Deum concurrere, vel movere ad peccatum, veram etiam traderet doctrinam, quia expressa sententia S. Thomæ est in II, dist. XXXVII, a. II, et in secundo scripto sententiarum libro, etiam II, dist. XXXVII, a. I. et II, de fide esse quod entitas, quæ est in peccato, quatenus entitas, et actio est, est a Deo sicut a primo movente.

VII. Tunc interrumpens sermonem, cardinalis Duperron Gallus, dicebat: « Calvinum non negasse in Adam ante peccatum libertatem, nec dixisse præscientiam tollere libertatem. » Cui fr. Thomas de Lemos respondit: « Illustrissime domine, ego dicam omnia, quæ Calvinus dixit in hac materia. Ipse aliter locutus est de Adam ante peccatum, et aliter de homine post peccatum. De Adam enim ante peccatum dixit habuisse libertatem, nec Deum determinasse quid esset acturus. Dixit etiam illam præscientiam, qua Deus vidit illius peccatum non abstulisse ab eo libertatem, quia constituabat Calvinus illam præscientiam post peccatum ipsum factum ex humana libertate. (Vide scientiam mediam apud Calvinum necessariam ut servetur libertas). Si autem posuisset Calvinus illam præscientiam ante tale peccatum, utique diceret illam lædere Adæ libertatem. Hæc fuit

sententia Calvinus de Adam ante peccatum. At vero de Adam post peccatum dixit primo, liberum hominis arbitrium extinctum fuisse, fides autem catholica docet non fuisse extinctum, sed vulneratum, læsum, et extenuatum. Deinde, dixit Deum decreto suæ voluntatis determinasse quid homo facturus esset; ex quo decreto dixit, quod fuit ablata hominis libertas. Dixit præterea quod illo decreto ita Deus determinavit hominem ad malum, et ad peccatum sicut ad bonum, de qua damnatur a Concilio Tridentino. Quæ omnia Calvinus deduxit ex illo pravo principio, quod necessitas consequentiæ orta ex divino decreto tollit hominis libertatem. In quo principio Calvinus, et Pelagius conveniunt. Contra quos Ecclesia docet, quod talis decreti positio salvat, et perficit libertatem hominis. Deinde, ex illo pravo principio tam Calvinus quam Pelagius per diversam consequentiam intulerunt extremos errores. Pelagius dixit esse hominis arbitrium, sed non efficacem Dei gratiam, ne læderetur arbitrium. Calvinus vero dixit esse efficacem Dei gratiam, sed lædere arbitrium. Ecclesia autem catholica utrumque extremum errorem æqualiter damnat, dicens esse liberum arbitrium contra Calvinum, et esse efficaciam gratiæ contra Pelagium. Rursus Pelagius dixit prævenientem gratiam esse tantum excitantem moraliter. Calvinus autem dixit non esse excitantem moraliter, sed tantum moventem sine excitatione. Catholica autem veritas docet efficacem gratiam utrumque includere et excitantem contra Calvinum, et efficaciter moventem contra Pelagium. Quibus dictis, cardinalis Duperron tacuit, et annuere videbatur. Hæc habentur in præfata congregatione.

VIII. Ecce quomodo exposita fuit sententia Calvinus in disputatione

habita coram summo pontifice, ut ex hoc scire possimus, quam sine fundamento nostra sententia suggilletur ex eo quod in aliquo convenit vel non repugnat Calvinianæ, cum tamen nulla doctrina magis e diametro illi repugnet quam nostra, cum enim Calvinus error in eo maxime situs sit quod illo antecedente concessio, Deus efficax decretum habet antecedens libertatem nostram, ergo lædit eam, nos dicimus illam consequentiam, nullo modo valere, etiamsi antecedens concedatur in sensu quo nos concedimus, scilicet dari decretum efficax antecedens simulque excitans et movens, non solum movens sine excitatione ut Calvinus posuit, nec solum excitans sine motione ut posuit Pelagius, sed excitatum et motum ut posuit Tridentinum sessione VI, can. III, atque adeo talem motionem antecedentem efficaciter cum motione et excitatione non destruere, sed servare liberum arbitrium. Et hæc est concordia catholica nostræ voluntatis et gratiæ.

IX. Sed ulterius quod minus repugnet Calvino opposita sententia admittens scientiam mediam, minusque ei opponatur quam nostra, sic probatum est coram summo pontifice in congregatione XXXVII, quia principium in quo conveniunt Pelagius et Calvinus est hoc: Non potest stare simul libertas arbitrii humani cum Dei voluntate efficaciter illam movente ad actum. Ex quo principio sic argumentatur Pelagius: Non potest simul stare libertas arbitrii humani, et Dei voluntas efficax et antecedens, sed in hominibus est vere libertas arbitrii, ergo non datur Dei voluntas efficaciter movens antecedenter, conclusio est hæretica, sed non ex minori, quia minor est de fide, quod videlicet est in hominibus libertas arbitrii; ergo ex majori, quæ est contra fidem. Simi-

liter Calvinus eandem majorem constituit sic: Non stat simul libertas arbitrii et voluntas Dei antecedenter, et efficaciter movens, ergo non salvatur in hominibus libertas. In hac ratione conclusio est contra fidem, sed minor ponitur esse de fide: ergo major contra fidem procedit. Qui ergo hoc ipsum principium affirmant dicentes non stare simul libertatem cum Dei voluntate antecedenter efficaciter movente, non videtur reprobare id potissimum in quo erravit Pelagius et Calvinus, sic enim modo argumentatur: Non possunt simul stare libertas nostri arbitrii, et Dei voluntas efficaciter ex sua natura, et antecedenter movens, sed in hominibus est vere libertas, ergo non datur talis voluntas Dei efficaciter, et antecedenter movens. Videant ergo cum quibus conveniant. Ita in disputatione illa coram pontifice dictum fuit.

X. Igitur cum totus error Calvinus consistat non in illo antecedenti, quod datur decretum efficax, et antecedenter movens voluntatem (dummodo etiam excitet) sed in illa illatione quod tale decretum tollit libertatem, directe illi contradicit nostra sententia, quæ affirmat, quod etiam dato tali antecedenti non sequitur quod libertas tollatur, sed quod a divino decreto conservetur. Opposita autem sententia scientiæ mediæ, dicit quod gratia Dei, et decretum non est efficax antecedenter ad libertatem nostram, sed ea prævisa ac præsupposita, si autem antecedenter se habet ad libertatem, quod tollit illam. Ergo in consequentia illa sic inferenda sententia hæc sententiæ Calvinus et consequentiæ non repugnat ita directe, cum in hoc præcipue erraverit Calvinus, quod non admisit efficaciam antecedentem gratiæ nisi cogentem, ac necessitantem. Quod etiam in eadem congregatione XXXVII, affirmavit coram